Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26487
Copyright: Admont, Benediktinerstift

conueniunt. quando sensus interiores et exteriores se
ad se intra se colligunt. illud unum quod solum
teste domino est necessarium querentes eadem mente.
eadem intentione. unoque consilio. seruiendi
atque placendi domino. Hoc itaque modo conuenientes.
mittunt nuntios ad omnem tribum beniamin.
ad presumptionem scilicet securitatis. humilem legationem
fungentes. Cur tantum nefas in uobis repertum est.
Isti siquidem nuntii sunt timor et amor dei. Qui
a domino de supernis ad cor hominis mittuntur. in
hunc modum illud alloquuntur. Cur tantum nefas
inter uos repertum est. ac si dicant. Cur homo
cum sis puluis et cinis. in sublime erigeris. et
Tradite homines de gabaa. qui hoc flagitium
perpetrarunt ut moriantur. et auferatur malum de israel.
Tradite inquiunt per penitentiam et confessionem
sensus animales. alta sapientes. ut moriantur
diabolo et uiciis. et uiuant deo et uirtutibus.
et auferatur malum de israel. malum scilicet superbie.
de qua germine pullulat totius malicie et nequitie.
Qui noluerunt audire fratrum suorum filiorum israel
mandatum. sed ex cunctis urbibus. que sue sortis
erant. conuenerunt in gabaa ut illis ferrent
auxilium. et contra populum israel dimicarent. Non
uult presumptio securitatis. audire precepta hu
militatis. sed ex cunctis urbibus cogitationum.
uerborum. operationum. in gabaa. in altitudine uidelicet